

pariter quae cum illis ad regnum perueniant semper eternum;

ITEM VBI SVB. LEE libri machabeorum

Indiebus illis orationem faciebant sacerdotes dum offerrent sacrificium pro populo isrl. Ionatha inchoante ceteris autem respondentibus & dicens: benefaciat vobis & meminerit testamenti sui &c. In secundo libro historie machabeorum scriptum est. quomodo iudei qui in frapatria manebant scripserunt epistolam fratribus qui per aegyptum & alias regiones in peregrinatione conuersabantur cum salutatione congrua commemorantes eis que contigerunt in uariis temporibus & diuersis locis populo iudeorum. Interque & iam inserunt orationes sacerdotum & sacrificia quae domino offeriebant remissione peccatorum & pacem sibi ab eo postulantes. ut ipse qui omnipotens est et omnium dominator suos protegat et regat atque ab omnibus inimicis defendat. nobis exemplum dantes qui ex diuersis locis & gentibus congregati sumus. in una sanctam ecclesiam catholicam pro nobis & ipsis & omni populo christiano cotidie & incessanter dominum oremus. ut per gratiam suam promissionem quam patribus nostris patriarchis uidelicet atque prophetis nec non & apostolis spondit. nobis simul cum illis in aeternum conferre dignetur. scilicet ut habemus corporum in fide recta & bona uoluntate colendum ritu catholico & faciamus uoluntatem eius corde deuoto & anima uolente. adaperiatque cor nostrum in lege sua ad intellegendum precepta eius & tribuat pacem & perfectam caritatem in diebus nostris. exaudiat orationes nostras & reconcilietur nobis nec nos deserat in tempore malo hoc est in persecutione & tribulatione presentis uitae. quatinus per ipsius largitatem sine bono consummati ad uitam perueniamus aeternam ipso tribuente domino nostro ihesu christo qui cum patre & spiritu sancto uiuit & regnat in secula saeculorum amen. LEE libri sapientiae

Miserere nostri domine & respice nos & ostende nobis lucem in miseratione tua. & in misericordia tua timorem tuum supergentes quae non exquirunt te. & cognoscat quia non est deus nisi tu ut enarrant magnalia tua. Ex persona fidelium sapientia dirigit orationem ad deum. ut dextera sua potentia defendat illos & inimicis suis reddat retributionem iuste uindictae. quatinus